

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Seger

Oratio De Otio Et Amore Illucito Otii Alumno

Rostochii: Myliandrus, [1602]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729069990>

Druck Freier  Zugang



P. Segger.
R. U. phil. 1602.



30

ORATIO
DE
OTIO ET AMO-
RE ILLICITO OTII
ALVMNO.

Publicè in florentissimo Academia Rhodopoli-
tanæ Lycae, Illusterrimis Principibus,
Viris item Reverendis, Clarissimis
Et doctissimis presentibus recita-
ta in Auditorio maiori 3. Non.
Junij Anno M. D. C. II.

PETRO SEGGERO Rostochicæ.

Rostochij Typis Stephani Myliandri.



ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS
ET DOMINIS

DN. VL DARICO
STETINENSIVM, POMERANORVM,
Cassubiorum & Vandalarum Duci, Rugiæ
Principi, Caicorum Comiti, Dynastæ in
Lovenburg & Butou &c. Rectori
Academie Rostochiensis
Magnifico:

NEC NON

DN. PHILIPPO.
Hæredi Norvvegiæ, Duci Schlesvicensi Hol-
satia, Stormariæ & Dithmaria, Comiti
in Oldenburg & Delmenhorst &c.

DOMINIS meis Clementissimis

submissè offert, dicat,
consecrat.

PETRVS SEGGERVS
Rostochiensis.



30

V L D A R I C V S
DEI GRATIA, STETINENSIVM, PO-
meranorum, Cassuborum & Vandalorum
Dux, Princeps Rugiæ, Caicorum Comes, Dyna-
sta in Lovenburg & Buten.
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS.

 *Vm multa sint ab ISO CRATE ad
vitam utilia, ad honestatem necessaria
scripta: tum valde eruditis placet illa sen-
tentia, quæ dixit: Disciplinarum radi-
ces amaras esse. Qua voce nihil verius esse, res ipsa
loquitur. Nam quod ad primam pueritiam, ut inde
exordiamur, attinet, et si pro discipulorum varietate
aliam atque aliam scimus esse educandi rationem: ta-
men ijs, qui primum ad alpha & beta discendum in
scolam mittuntur, omnibus acerbitatum quoddam pe-
lagus propemodum exauriendum esse, extra contro-
versiam est. Sequuntur paulò post multò aru-
minosiora: Grammatica rudimenta, ad quæ discenda
& cognoscenda, quantus, pro Deum immortalem,
requiritur labor! In Æsopi fabulis queritur apud Io-
vem Asinus de suis ærumnis, quotidianis se operis
confici & enecari: sed est querela eorum, qui ad di-
scenda latini & græci sermonis fundamenta animum
applicant, iustior profecto, si res ad calculos revocatur,*

A 3

quam

quam asini. Tot ibi occurruunt inexplicabiles, immensae, infinitæ difficultates, quæ lamentariæ dissentient, neque eas ferè intuetur, quin propemodum illacrumetur: tot ibi sunt declinationum ferè modi: tot coniugationum formulae: tot anomala, quot Athenis noctua: in quibus tam est desudandum, quam si molares effoderes. Atque hæc discentibus quodammodo videbantur ferenda, nisi alia re acerbiora fierent. Est enim non obscurum, quam horum instrumentorum cognitio necessaria sit ad quodcumq; omnino doctrinæ genus aspirantibus: quamq; non infeliciter modò sed & turpiter superiores disciplinas tractent, qui hæc fundamenta neglexerunt: itaque difficultates hæc possent devorari. insipienter enim vult, qui sine difficultatibus polera vult. Sed est, qui ferè omnia ista acerbiora facere videtur: is nempe qui permittit raro operam primæ etati dare lusibus: qui ob levissimam caussam interdicit ientaculo: nonnunquam quoq; merendam eripit: silentium, ut Pythagoras imperat: apud parentes sœpè accusat: Bellerophontis sœpè ad ludum itantibus dat preferendas literas, infelices, atque in caput atque perniciem eius, qui reddit scriptas: Atque cum hac arumnosissima videatur arumna, tum illa longè est arumnosior, quam ij experiuntur, qui stylum formare discunt: quibus plus videtur laboris exauriendum esse, quam Sisypho in volvendo in adversum montem immani

30

mani illo saxo. est enim ad latini sermonis elegantem
suavitatem aspiranti volvendus Terentius: perlegen-
dus Virgilinus: cognoscendus Horatius: nocturna diurna-
que manu tractandus Cicero. ei bellum est cum Gram-
maticis erratis, cum obscurè & ambigüè dictis, cum
improprijs, cum sordidis, cum germanismis implacab-
ile: ut non tanto constiterit sudore bellum decennale
Troianum, quantus hic requiritur labor. De Logicis
alijs vè artibus dicere si vellemus, quid aliud intelligen-
tibus, quam diem commonstraremus? Verum Ama-
ror ille magis est amaror, si ex triviali pulvere produ-
ctos intueamur in Academica vita. Ac principio qui-
dem studiosis creandis quot perferenda molestia? Vi-
deas initiandum humi extensum immotumque super-
bum iacere, denati instar aut sepulti, vivum ceu mor-
tuum haberi, hominem ut bestiam tractari: liberalissi-
mè pulsari: crura, brachia, latera, totum corpus instru-
mentis fabrilibus, ferris, securis, dolabra, bipenni, polcre
& ad arnissim, nempe ad lignum benè crassum, pra-
parari; ut dubites, trabemnè an hominem extruenda do-
mui aptari videas. Quanquam hæ non sunt molestiae, si
quarum rerum gratia ludicra illa adhibeantur, conside-
res. Sunt n. huiusmodi inflicti initiandis dolores virga-
quædæ vox, admonens eos, ut invictum habere discant
animum ad pestes quæ in studiosos irruere solent, & eos
non raro de gradu suo deiciunt. Etsi enim schola regie-

A 3.

propte-

propterea instituta sunt, ut in ijs inventus ad pietatem
educetur: ut animum rerum, ad finem vita utilium,
cognitione eadem expletat: ut discat virtutes complecti,
vitia edisse, omnem denique turpitudinem horrere: ta-
men ad hoc decus videnti multa monstra, multæ chime-
ra, multæ empusa obijciuntur. imprimis autem duo
illa, otium & voluptas, quam plurimos quod in litera-
rum studio vellent, pervenire haudquaquam sunt passa,
quic eos amplexa, tandem non ad salutem, sed ad interi-
tum & perniciem ducent. Otium enim in honestum
multos, qui otio honesto, hoc est literis, vacare debebant,
ubi eos ab honesta studiorum occupatione ad pigritiam
& asinianam tarditatem deficere fecit, misere perdit &
trucidat. contra quod malum præsentissima quidem sunt
remedia, Dei præceptum, vitij turpitudine & eiusdem
pœna. sed pauci ijs utuntur. pauci Deo monenti & ab
turpissimo isto flagitio suos ut sibi caveant, hortanti, ob
temperant: pauciores turpitudinem otij, pulvinaris illius
Sathanæ, considerant: paucissimi deniq; Censorum severi-
tatem, Laconum mulctam, Draconis ferrum, Sacre
scriptura notam perpendunt: verum plerique ideo se in
Academijs vivere putant, ut frenos ignavia & pigritiæ
solvant, atque tum suum se fecisse officium egregie, autu-
mant, si prolixè otientur, & torpore diffluant. Altera,
qua studiosos infestare solet, ex superiori malo nata, pe-
stis est voluptas corporis. Huic malo plerumq; obnoxij
sunt

30

sunt hi, quibus panis in ore nascitur. his enim, ut ligno
pravoteredines, agnascuntur Sycophanta, Phormones,
gnathones, quibus hoc unicum cordi est. Scire, ut Be-
atos illos commemoratione & prædicatione fortunarum
inescit & dementent, & ineptos postea à regia dis-
ciplinarum via ad libidinum, ad compotationum, ad omne
genus petulantiae avia, & Syntes dedicant; digni profe-
cto, qui ante Solis occasum à Timuthis ex bene constitu-
tis rebus publ. ejusdantur; aut in Constantini monasteriis cum
omnibus labe contaminatis, ne reliquos sua contagione
inficiant, relegentur & concludantur. Sed sunt ta-
men, qui cum ex auro compositum habeant ingenium;
defraudant genium suū: quos labor ab otio, pudor à tur-
pitudine, reverentia legum à vitijs, ratio à furore revo-
cat. Quanta autem cum acerbitate coniunctum sit,
otij turpitudinem a verruncare, voluptatumq; libidines
refecare: id nostro iudicio ij potissimum experiuntur, qui-
bus salus sua cura, quicq; in huiusmodi lucta inter se &
labores studiorum, & voluptatum illecebras compo-
nunt. & comparant. Nam, ut Seneca ait, militan-
dum hic est; quod ipsum non facile accidit; sed militiae
quodam genere quo nunquam quies, nunquam otium
detur; tentandum id & cum dolore conficiendum est.
Verum de dicto Isocratis satis philosophati sumus. De
duabus autem amaritudinibus studiorum postremis, de
Otio

OTIO & AMORE, & de utriusque turpi-
tudine PETRVS SEGGERVS Rostochi-
ensis adolescens doctus & probus Orationem elegantem
& mira rerum iucunditate stipatam, eras hora 9. in
Auditorio magno recitabit. Ad quam audiendam
DD. MM: & studiosos clementer invitamus
PP. sub sigillo Rectoratus. II. Iunij Anno 1602.



ORATIO

ORATIO.

Nomine Domine Rector, Principes Illusterrimi, Reuerendi, Amplissimi, Spectatissimique Virti, Praeceptores omni obseruantia colendi: & tu studiosa juventus, adolescentes longè doctissimi, lectissimi. *Institum hoc à natura multis humanis ingenij, ad nova & inaudita acriter flectere oculos & aures, præterire quæ nota.* Nec dubium, quin & in hac nostra corona nonnulli eiusmodi existant, qui nihil fortassè præclarum, aut in precio aliquo habendum putent, nisi Nouum id, & inauditum sit, quos idcirco piget eadem frequenter dicere, aut ijsdem audiendis aures sæpius dare, atq; adeò vel cogitationem crebram de ijsdem suscipere. Verum, ut nos ea eo rectius, ad rationis trutinam examinemus, habemus necesse Socratis exemplum, qui, ut est apud Xenophontem, longè secus sentit in disputatione cum Hippia Eleo, homine ex eo, de quo iam dixi, genere. Sophista enim ille, cum post temporis aliquod intervallum Athenas reversus audivisset Socratem eandem de Iustitia disputationem sæpius iterare, derisit illum intra labia, jactans, se de hac re semper aliquid noui adferre conari, contra verò Socrates, cum de numeris alijsq; scientijs *τεῦται μετὰ τῶν αὐτῶν* dici oporteat, etiam de *Virtute* eandem doctrinam, & perpetuò tenendam esse, & subinde inculcandam ostendit. Quod si igitur tantus Philosophus, qui, Cicerone teste, omnium sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus studium novitatis removit, neutquam me, qui ne *salillum* quidem ingenij Socratici habeam, nova in medium proferre decebit. Quis enim non videt, quid ijs usu veniat, qui suis scriptis & monumentis nova intertexuerunt, eaq; tanquam ex arduo illo sapientiae colle promanasse astruunt? quot quæstionum captiosi laquei? quot Syllogismi flexiles?

B

quot

quot errorum tenebræ? quot veritatis obsfusationes inde oriuntur? Sed quid multis moror Audit. illustriss. ornatis. & nobiliss.? Non vos fugit, nec quenquem arbitror præterre eiusmodi congressus non ideo institui, ut de rebus levibus & inutilibus, de vagis, & vanis, vt Muscæ volatu, publicis saltu, pediculi tussi, & alijs huius farinæ quæstionibus auditorum animos deliniantur & detineantur: sed ut Deo grata & hominibus salutaria dicantur & fiant: propositum est mihi *ad ihesum*, & *pro pueris*, & ea in medium proferre, quæ animos nostros ad divini nominis & numinis vere rationem accendant. Et certè Auditores, qui hoc ipsum facere negligant, no ego illos vanos, non leves, non *metuebiles*, & nullius seriae curæ, verum planè è Musico hoc cætu removendos esse dixerim. Nam & se dedecorant, & omne nomen literarum, dum aureum hunc ingenij ac memoriae florem in juvenili ætate negligunt, & partim ignavia, otio: desidia, somno & amore illicito defluere sicut, partim intemperantia & luxu, partim præpostera & inutili discendi ratione corrumpunt. *Mulii etiam ad eruditionem, aut aliarum quoq; laudum excellentiam pervenirent, nisi se iam pervenisse putarent.* Cum itaque duæ sint hominis propriæ & singulares dotes, quibus rectè excultis, nou modo animantibus cæteris, verum etiam inter se alij aliis hominibus antecellunt, videlicet **RATIO & ORATIO**, oratione quadam, omnes eos, qui honestis studiis, & moribus dediti sunt, quiq; aliquando sibi ipsis honori, amicis utilitati, & Reipub. emolumento esse cupiunt, ab otio & Amore illicito otij alumno dehortari volui, ne pulcherrimum succrescentis ætatis florem & sanctas studiorum vigilias, & Amorem præstantissimum, & utilissimum discendi laborem in ignavum otium, & Venerem impuram conferant.

Materia erit, uti spero, ætati meæ consentanea, huic celebri loco accommodata, auditu non iniucunda, & scitu necessaria.

Adhuc

24

Adhæc cum vestra mihi humanitate & æquitate opus
esse sentiam, summa petitionis meæ est, Magnifice Domi-
ne Rector, Principes Illustrissimi, viri Reverendi, Auditio-
res suauissimi, doctissimiq; , ut ea, quæ hac ipsa horula tra-
staturus sim, attente & benevolè à vestro præsente commi-
litone accipiatis, neq; benevolentæ vestræ fontes, qui alijs
semper paruerunt mihi yni clausos esse patiamini, etiam at-
que etiam oro, & si vultis obsecro.

Principio, quod otium mala res sit, & multa mala do-
ceat homines, imò & virtutibus, nec non singulis quibusq;
artibus aduersetur, quotidiana testatur experientia, & mul-
torum sapientum dicta. Bernhardus inquit, *Otium est omnium
vitiiorum receptaculum, omnium tentationum & cogitationum ma-
larum, ac inutilium sentina.* Et alibi refert, *Otiositas est mater nu-
garum, noverca virtutum.* Hæc est culcitra, in qua Diabolus
in homine quiescit, quam ubi viderit audacter accedit, ut
Muscæ ad ollam tepidam, & pulmentum cui insident. Et
Lucanus ait, -- *Variam semper dant otia mentem: fovent libi-
dinem, corpora peragrant, animos enervant, ingenia fu-
scant, scientiam minuunt, memoriam extinguunt, oblivio-
nem pariunt;* Hinc,

Quæritur Ægistus, quare sit factus adulter?

In promptu causa est, *desidiosus* erat.
Rectè ergò Pallas ille apud Hom. docere videtur, cum A-
gome in nonem increpans ait: *Non oportere virum cui Respublica
cura, tota nocte quiescere.* Et Iulius Scaliger incomparabilis e-
ruditionis vir doctum reliquit dictum, *Literati*, inquit, *ho-
minis mens, quando quiescit fit amens.* Nec me hercle iniuria.
Vidit enim vir ille prudentissimus Otium & ignaviam ma-
gnorum etiam sæpè ingeniiorum pestem esse, cum ignavus
hic affectus teste Justo Lipsio sic animum delimet, paula-
tim & exedat, ut lignum occulta teredo consumit. Quod
autem Iulius Scaliger scriptum reliquit de magnis ingeniiis

B 2

id quoq;

id quoque sapiens ille Ebraeus de viris juvenibus hoc modo
præcipiens. *Qui obseruat ventos, non seminabit, qui obseruat nubes,*
nunquam metet. quibus verbis eruditus innuere voluit auctor,
juvenem frigoris impatientem hibernas lectiones nunquam
audire, æstum non ferentem, nunquam legendo, scribendo
aut ediscendo se exercere, à vigilijs abhorrentem solem nun-
quam antevertere: *Otio, voluptati ac delicijs succumber-*
tem convivia & lustra honestis laboribus nunquam post-
ponere, atque ita otiosè, contemptè & miserè totam æta-
tem transfigere. Quod Tullius quoq; confirmat iis conti-
ngere, in quibus nullus est labor, nulla industria, nulla cura.
Prudenter ob id Plato finita disputatione discipulos & au-
ditores suos ita hortabatur: *Videce vos mei discipuli, ut otium ye-*
strum in honestum negotium vertatis: uolens indicare juventutis
pestem Otium esse. Ita refert Ælianus, cum Ephoris, qui
in Spartanos summum ius obtinebant, judicabatur
eos, qui Decellejam obtinebant à prandio solere otio-
sè deambulando tempus absu mere, talibus ipsis interdixere.
Ne deambuletis, ut genio indulgeatis, sed ut potius corpus exerceatis.
Inuuerunt scilicet opertore Lacedæmonios non deambulatio-
nibus, sed exercitiis bonam valetudinem parare & tueri. Et
tu Philemon prudenter & eruditè olim informasti Cleo-
nem, cum dicebas. O Cleon desine nugari & otiani, si di-
scere distuleris, vitam tuam omni ope destitutam impru-
denter efficies: sin verò quid honesti egeris cum labore, la-
bor quidem evanescit, honestum autem remanet. Sin quid
turpiter egeris cum voluptate, voluptas evanescit, turpitu-
do verò manet. Neq; nauta, ô Cleon, si non per undas ve-
ctus apprehenderit terram, unquam seipsum servare po-
terit, neq; vir pauper qui nullam didicit artem tutò vivere
potest. sed pecunias, aies, possideo. At illæ citò pereunt,
& fontes sunt & origines omnium malorum, stimulos ma-
iores nequitia subdunt, atque fenestram criminibus omni-
bus.

30

bus aperiunt, ut præstiterit honestâ paupertate laborare,
quam multis & iniustis divitijs affluere, iuxta illud Me-
nandri: μάλα πίεσθαι η ταττειν γανώς. Dic enim mihi Cle-
on, quidnam tibi prodebet, licet etiam Rex summus es, es,
totiusque mundi dona & bona possideres, cum nihil aliud
sis quam Homo, factus ab humo, & *hemina vna sanguinis*,
quam quilibet levis casus rumpit, qualibet febricula corrumpit, vel ut
ille ait, multis miserijs, & calamitatibus adfectus & mor-
talis. Quid tum, quod procul expuis? multa abundas pi-
tuita. Veste vestitus es eleganti? at hanc ovicula prius ha-
buit. Aurum gens: hæc fortunæ inconstans est potentia.
Opibus affluis. hæc vis est iniqua temporis. Superbis, hu-
iustmodi est stultitiae jactantia quam sectari. Sunt tibi præ-
dia & dominus prætendis. An ignoras fortunæ vices, quæ
divitem hodiè mendicum facit in crastinum? Quod si no-
strum aliquis ad portum fortunæ appulerit, demittit anchoram
securitatis gratia. Sin temere jaetatus inepto flatu fe-
ratur nullam in senectute paupertatis auxiliarem habebit
salutem. Sed fortasse dicas, amici, familiares & sodales
mei tempore necessitatis mihi sumptus suppeditabunt?
Quin tu potius opta, nullo modo cum sedalibus neque in via, neque
in foro ullū sermonem exequi. At ulterius quæris, quomodo foda-
les evitent? Difficile est de eo præcepta dare, cum necessariò
hominum consuetudine utramur. Sed tamen tutior fueris,
quo cum paucioribus familiaritatem alas. Sin minus veluti
Umbra tibi adhærescent, & studijs tuis erunt obstaculo.

Duplex igitur mihi præceptio, *Et ut bonos rectosq; eligas*
& adnotes, Et fugias malos & detortos, ut nauta scipulos. Però
viam tibi non ad fraudes præeo, sed ut medi venena que-
dam venenis pello in salutem tuam non innoxiam. Ad di-
ligentiam, quam optimam eruditionis atq; existimationis
custodem vocamus, te incito, non ad otium. Nihil enim
boni parit otium inane. Deus otiantibus non adfisit. Cir-
cuire.

cuire in otio ferians infensissimum est vitæ malum: neque potest fieri, ut is metu tangat, qui non collimat. Omnino autem (hæc summa admonitionis est) semper assiduum & crebrum te velim in scribendo, in legendo, magis vero tui amantem & estimantem, non quo ad Superbiā te vacem, absit absit illa pestis. Hæc omnia evertit, sicuti anti- qui versiculi testantur:

*Si tibi copia, si sapientia, formaq; detur,
Sola superbia destruit omnia si comiteatur.*

Isidori verba in animo tuo gestes, quæ quidem pauca & parva, sed tamen magna sunt, nec numero sed pondere aestimanda. *Esto*, inquit, *parvus in oculis tuis*, ut sis *magnus in oculis DEI*. Tanto enim eris in oculis Dei pretiosior, quanto fucris in oculis tuis despectior. Tu igitur, mi Cleon, superbiā fugias, & Euripidæum illud saepius petas, *πν̄ος εὐλάτιας μαλίης*, labor gloriæ genitor. Hoc dico petas, ne dona, quæ magnus ille Deus in te contulit, ut aquam immotam sorde-scere patiaris & obsolere. Cogites itidem ætatem tuam in præcipiti cursu esse, nec facile facturum te messem, si in hoc juvenili vere neglexeris facere sementem. Sementem dico & virtutis & doctrinæ. Ut enim ij qui scaphas concenderet cæperunt, non prius desistunt ab ascensi, quam supremum attigerint gradum: sic & tu in bonis semper altius scandendo sis affectus: siquidem multum oportet illum laborare, qui gloriosam laudem consequi velit. Eodem modo Pythagoras ille familiariter familiares suos admonere solebat, vt optimum vivendi genus sibi eligerent. Quamuis a. labioriosissimum *confuetudine* jucundum fore volebat, ac vetus illud acriter ipsis ingerebat: *πν̄ χείρα μλιέρωτα, δὲ τὸν λύχαν ναλέν*: Manum admoventi sunt vocanda numina. Eadem quoq; præcepta semper aures nostras circumsonent Audit. neq; vnquam ex animo nostro excidat Alexandri illud *μηδὲν άναστατώμενον* labores et exercitia de die in diem procrastine-

30.

crastinemus, sed eas quæcunq; sunt in nobis mentis & ingenii vires labore excitemus, & sedulitatem tanquam cote aliqua acuamus, neq; ab otij & desidiae illecebris vinci nos & debilitari patiamur. *Ingenium* n. mi homo, ingenium *uii ferrum esse* scito, *splendescit si vestire, rubiginem contrahit si recordas.* Hinc Alexander Macedones suos ad veterem frugalitatem & labores militares revocans dicebat: *Maxime servile esse otio diffluere, Laboribus verò deditum, maximè esse Imperatorium.* Refert Franciscus Patritius doctissimos & sapientes veteres nihil magis censuisse odio prosequendum, quam segnitiem animiq; torporem: Quocirca, inquit, antequam epularentur adolescentes ad mensā vocabant, quid officij, quid vē negotij per diē egissent, interrogabāt, & illis esculentia apponebant, quorum industriam probabant. Illos a. ex cænaculo extrudebant, qui per ignauiam ac inertiam nihil egissent. Mirandum quoq; & illud, doctissimi commilitones, quod Sabellicus scribit de Florentinis, quod hanc nimirum à maioribus acceptam laude dignam consuetudinem adeo stricte observarint, ut si hominem vidissent otiosum, nec tui vitæ suæ functionisq; rationem reddere potuerit, *capite plecterent, aut civitate, ut perniciosum civem ac inurile patria pondus extruderent.* O ergo verè in laude ponendum Dionysij responsū! Hic interrogatus olim ab aliquo, Anne otiosus esset? μηδέποτε τούτο τούτοις respondebat: *absit ut hoc mibi unquam accidat.* Et tu Socrates Negotium non opprobrium esse, Otium autem opprobrium fatebaris. Tu quoq; doctissime Demosthenes propheticè nobis inclamas: *Desidiam & otium comitari egestatem, & aliena agendi studium.* Ettu Xenophon pleno ore laudandus cum aliquando juvenem videbas matutina tempora lectiunculis consumentem, ac multa ante lucem componentem, hoc modo ipsum blando sermone appellabas. O juvenis jucundissimum condis obsonium, cum labore non fugias, neque aliam curam admittas, neque cogitationi & actioni locum relinquas

relinquas, sed dies noctesque summa contentione enitaris,
ut priori cumulo aliquid adiicias, & bona acquisita quotidi-
die nova aliqua, et non contemnenda accessione augeas, ubi
hoc modo semper sis affectus, tum ferret opus, & non senti-
tur sedulitate labor: ubi verò eiusmodi ardore animus tuus
vacat, ibi profectò omnia in te frigebunt, & ita nihil lau-
de dignum efficies, si nimis tempus matutinum dormi-
endo ac cutem molliter tractando consumperis. Quapro-
pter cum intelligamus incomparabilem ingenij tacturam
otio & somno fieri, hoc agamus, dies noctesq; meditemur,
quomodo huic malo, quo nullum pestilentius hominibus
datum est, medeamur & occurramus. In quo, vt mihi vi-
detur, Hieronymi præceptum nobis sequendum. Is inter-
rogatus, quâ ratione otium effugeret? Semper, responde-
bat, age aliquid, ut Diabolus adveniens, semper te aliquid agentem in-
veniat occupatum. Hoc igitur remedio utamur, in hoc nos
exerceamus, hoc nobis assiduo labore dulce reddamus, ne
propter nimiam pigritiam & somnolentiam susq; dequé
habeamur, sicuti vir ille pius & doctus contemptui ludibriq;
exposuit hisce lepidis & ridiculis versiculis obesos
& somno deditos monachos.

Curant (inquit) non aras, sed haras, non vera, sed atra,

Non æquum sed Equos, non inopes sed opes.

Libras non libros relegunt, parentq; monetis

Non monitis, pretio non prece quemq; invant.

Non Alleluia ructare, sed allia norunt

Plus in Salmone quam Salamone legunt.

Vitemus ergo otium A.H. ne & nobis tales vel similes
versiculi in ignominiam nostram scribantur, & operam de-
mus, ut in mente nobis versetur illud verè Imperatorium:
Quo maior ero, eo magis laborabo, et quo magis laborabo, eo maior ero.

Verum

Verum ne excidam à linea quam insisto, obijcent mihi
nonnulli, semper laborare esse difficile, nec non laborandi
difficultatem plurimos deterrere. Cogitent quæso hi ipsi,
nihil vñquam inveniri pulchrum, quin & idem sit difficile:
considerent etiam nullam esse in communi hominum socie-
tate vitæ partem, suas quæ non habeat difficultates atq; mo-
lestias: vnde natum tritum sermone proverbium χάλεπα
τὰ καλὰ, τὰ δέ κακὰ οὐ καλεπτα. Militiam quæso specta non-
nè hæc plurimis referta est malis, summis onerata laboribus
atq; periculis: sub æstu intensissimo, in frigore gelidissimo
consistendum est in armis, imò etiam cum hoste non sine
sanguine, & extremo vitæ discrimine configendum sæpius,
corpus nonnunquam inedia macerandum, cerebrum quan-
doq; vigilijs cõturbanum, sub puro Iove idq; cœlo plu-
vio & ventoso cubandum: perferendi imbræ, non perni-
scendæ grandines, non fugiendæ nives: jam transeunda
vada, mox superanda montium juga, sylvæ etiam aliquan-
do, ipsis feris vix cognitæ perlustrandæ, aliaq; id generis
infinita tentanda & experienda militibus. Hæ sunt militum
deliciæ, hæc jucunda militum fercula, quæ si nullis implici-
ta difficultatibus dixerit quispiam, à quo quis ridebitur, sat
scio. Ut autem attico more paucis multa complectar, nul-
la est in vita conditio, quæ suis careat molestijs: ita namq;
natura comparatum est, vt qui consequi aliquid volet, id
non sine labore adipisci queat. Vigilare decet hominem, teste Co-
mico, qui vult sua justo tempore confiscere officia. Nam qui dormiunt
libenter sine lucro cum malo quiescunt. At ignavi illi fuci votis
conceptis, ni fallor, jugiter optant, cupiantq; summoperè
Eloquentiam Ciceronis, scientiam Demosthenis, acrimo-
niam Aristotelis, memoriam Temistoclis, prudentiam So-
cratis, sapientiam Nestoris, si modo dormientibus hoc ipsum, ut
cum Poeta loquar, Dij offerrent. O molles ac voluptuarios
homines, qui in ipso flore ætatis delicias querunt, & quo

C

illis

illis itinere ad eruditionem aditus pateret illud ingredi ab-
nuant, nisi viam videant, tum mollissimam & planissimam
tum rosis violisq; contratam, quamq; viridantes opacent
omni ex parte patularum arborum comæ. Sed exspecta-
bitis ô boni & frustra exspectabitis, *Labor, labor hic requiri-
tur, exercitatio postulatur*; Absq; his nihil vita dedit morta-
libus, juxta Epicharmi illud: ταῦτα πολὺν τράπεζαν
ἀντανέθησαν, Laboribus Dij cuncta nobis vendunt bona.
Quid enim? an in curis cum Cicerone natam Eloquentiam
censem? minime. Pericli cuius in labris ipsam suadendi
Deam sessitavisse legitimus annatam esse Eloquentiam puta-
tis? nequaquam. Quid uno eodemq; ortu & Demosthenem
& præclaram eius scientiam procreatam arbitramini? nul-
lo modo. Tantum enim in eo studium fuisse, tantus labor
dicitur, ut locum sibi subterraneum ædificari, in quem sin-
gulis diebus descendit actionis formandæ vocisq; compo-
nendæ gratia: sæpè etiam duos aut tres menses continuos
ibidem consumpsit rasâ alterâ capitis parte, ut ne, si vellet
egredi, præ verecundia posset. Tanto præterea doctrinæ
studio flagravit, ut in ardua & angusta admodum sponda
cubaret, ut manè citò expurgisci, auroram prævertere, &
literis pertinacius operâ navare posset, vehementerq; doleret
si quando fabrorum antelucana forte vietus esset industria.
Et plurane vultis diligentissimorum virorum exempla? ca-
pite. Socrati in senectute Citharam pulsanti & aberran-
ti, dixit quidam. Tunc adeò senex cithara ludis? οὐδὲ τόνον
εὑρεῖν εἶναι ἀργοῦ respondebat: Melius est sero quam nun-
quam discere. Nec ille otiosus fuit, optimi Audit, qui dixi.
Quod si alterum pedem in sepulchro haberem, tamen aliquid addiscere
vellem. Nicias ille adeò adludus fuit, ut famulos sæpè roga-
ret, an lauisset, an pransus esset.

Plautus comicus interdiu suas scripsit Comedias: noctu
vero operam locavit pilori, ac in agendis molis qualem-
cunq; quæstum fecit.

Clean-

Cleanthes philosophus quæstu extrahendæ aquæ no^r
eterno tempore inopiam suam sustinuit, diurno Socratis
præceptis percipiendis operam dedit.

Dorotheus Theobanus Monachus, teste Sozoméno,
interdiu lapides ex mari, quod erat in proximo colligere,
inq; annos singulos extruere parvulam domum solitus fuit,
& eam dare his, qui sibi domum ædificare non poterant :
Noctu autem folia palmarum nexuit textura tortuli, ex illis
Sportulas confecit, quibus victum sibi suppeditaret. Cui
quidam, cur, inquit, ita corpus conficis? *quia illud*, respon-
dit, *me conficit*. Itaque & Cyrus ille Xenophonteus, Deum,
ait, non otiosis, sed laborantibus favere, eaq; bona frumenti-
bus esse longè jucundissima, quæ non facili manu obvene-
runt, sed cum molestia parta sunt. Vobis igitur ingenui a-
dolescentes quotquot animo & corpore adeitis, vobis in-
quam hoc planè sit persuasum, nihil eorum, quæ verè ho-
nesta pulchra & salutaria sunt contingere hominibus sine
assiduitate & labore, uti multa veterum sapientum dicta
monent. Notum enim est, πᾶς ὁ τὸν γῆν οὐκ ιπὲ γῆν γεν-
εῖ ἀρετὴν ἐν αὐταῖς. Omne aurum quod super terram est, & infra
terram virtute non est comparandum. Nec vobis latet illud pul-
chrum. Ut planta crescit rore, ita Virtus imprebo labore. Multo
minus vos præterit Proverbium, ὁ φεύγων μόλις, ἀλφίζε
φεύγει. Qui fugit molam, fugit farinam. Item, οἱ πόνοι πάκιστοι
ἐνδέξειν, Honor & gloria labore comparatur.
Non enim levis adscensus, si qui petit ardua; sudor
Plurimus hunc tollit, nocturno ex somnis olivo
Immoritur: delet, quod mox laudauerat in se
Qui cupidæ eternæ donari frondis honore.
Dixi de Otio sive Pigritia studiorum peste infestissima. Su-
perest, ut breviter dicam de Venere seu Amoris illiciti tur-
pitudine. Quis n. prudentiorum est, qui non intelligat A-
morem ex ignavia & pigritia nasci otioq; & luxu nutritri?
Non n. sine causa cecinit Ouidius, quod cecinit.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus;
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Quis, inquam, est qui nesciat, quantum exitij ab hac peste adolescentum studiis inferatur? quis ignorat eos infinitis curis & vicissitudinibus infortunij obnoxios esse? cæcos oculis, surdos auribus? imo pudore & metu, sensuq; prorsus omni destitutos, ita, vt neq; consilia, neque terminos habeant vlos? Priusquam autem de impuro hoc monstro differere pergam, inclamo vobis, si me eadem alacritate audiueritis ac de priore balbutientē audivistis, me quoq; ad diendum alacriorem reddideritis. Vos quæso attendite, animumq; intendite. Morbi corpus afflidunt Audit. Amor & Voluptas ipsam mentem: imo & corporis vires exhaustit, & famam atq; existimationem imminuit, & ingenium labefactat Amor. Itaq; Demosthenes excitatus Laidis metrericis forma, cum audiisset dimidium talentum pretium noctis esse, *Ego, inquit, tanti pœnitere non emo.* Neq; illud admirandum. Comicum illum non minus verè quam rectè locutum, *Amantem perpetuo igne torrii;* & contrarijs animi perturbationibus semper agitari. Nec ædepol scio, quomodo studiis & meditationibus serio vacare is poterit, qui in eadem cum Plautino illo in Cistellaria amatorculo carnificina factatur, cruciatur, agitur, stimulatur, & in amoris rota miser versatur, qui item examinatur, fertur, differtur, distractitur, diripitur, ita vt nullam mentem animi habeat, ubi est, ibi non sit; ubi non est, ibi sit animus; seu ut idem in Mercatore loquitur: *Qui nunquam bene queat quiescere, cuius cum domi est, foris sit animus, cum foris est animus, sit domi;* vel vt potius eidem Plautinum illud in Truculento assidue occinendum putemus:

Non omnis ætas ad perdiscendum sat est
Amanti, dum: id perdiscat quod pereat modis.

Quod

Quod dum ille facit, interim omnes ingenui adolescentes
perpetuo in animo & ore habeant illud Publij,

Lascivia & laus nunquam habent concordiam.

Ita enim eiulat Tibullus Poëta:

Ab ego ne tales possem sentire labores

Quam mallem in gelidis montibus esse lapis!

Stare vel insanis cautes obnoxia ventis

Naufraga quam vasti, tunderet unda maris.

Hinc colligimus Amorem potius ex stultis insanos facere, quam in animum sapientis cadere. Quid enim quæso insanius esse potest, quam à se ipso discedere, nec secum habitare, sed in alieno corpore degere? Quid peius quam viventem non vivere? quam sensum habentem non sentire? quā oculis præditum non videre? Verum obijcent mihi non nulli, nisi me animus fallit, Amorem esse virtutem, cum circa amabilia versetur & pulchra. Facile largior si sit virtus, sed heus quotquot adestit amatores, quas adfertis rationes, quas opponitis demonstrationes, quæ profertis argumenta, quæ proponitis testimonia? An ideo virtus erit Amor, quod circa res amabiles pulchrasvè versetur, siquidem virtus est sucosa, amabili meretricum forma rapi, composito illarum vultu capi, oculis illarum basiliscinis infici, totoque illarum corpore ad pulchritudinem ficto picto trahi, vinci, sub iugum mitti? Et concedo adhuc, si qua illa illas forma commendat aut venustas, tum amabile & pulchrum amoris statuetis obiectum? annuitis video. Sed ubi fodes amabilitas illa consistit? ubi pulchritudo locum habebit? in virtute fortassis meretricum & moribus. Agite igitur perpondemus meretricum virtutes, trutinemus illarum mores, audiamus poëtarum commendatores, quas virtutes illis attribuant, quos mores adscribant. Hic non minus verè quam venustè differit.

C3

Quid

*Quid levius pluma? flumen. quid flumine? ventus.
Quid vento? meretrix. quid meretrice? nihil.*

Et ut alius inuehit.

*Nec celare suas, nec vincere fœmina curas,
Nec differre potest, tantum levitatis in illa est.*

Egregiæ virtutes, egregia meretricu[m] Encomia digna
muliercula Amoris domicilia.

Audivistis modo Amatores molliusculi, quibusnam e-
gregiis virtutibus si vitia sunt virtutes vestræ Deæ clarescant
quibus supplicatis, quibus litatis, quas observatis, timetis,
colitis. Sed oblatrare vos mihi audio levitatis quidem
in alijs vitium esse, in vestrîs vero meretricibus virtutem,
quippe cum levia omnia sursum tendant, gravia vero de-
orsum. Atque si cœlum totum levitate delegetur, cur non
& eiusdem incole vestræ Divæ, si modo Divæ, & non po-
tius Diræ infernates vocandæ sint, unde totius nostri fundi
calamitas originem traxit? Atqui si Deæ, cur scriptores in
illas sœpissime invehuntur? cur illas sollicitudines continu-
as, insatiabiles bestias? cur damna adolescentium, naufragia
virorum incontinentum? cur adulterii vasa, animalia pessima?
cur evacuationes bursarum, turbationes scholarum? cur
juventutum expilatrices, patrimoniorum devoratrices no-
minare non verentur? Vbi iam quæso latet illud pulchrum?
ubi delitescit illud amabile? caufam nullam video, nisi mor-
bo Amoris id fieri prætendatis. Est enim Amor, ut ille Me-
dicus ait, morbus & morborum maximus. Atque hinc contingat,
ut: Si quis amat ranam, ranam putet esse Dianam. Si quis amat cervam,
cervam putet esse Minervam. Porro, si incommoda amoris
examinemus, deprehendimus, quod ille, qui Amorem laten-
tem esse ignem, gratum vulnus, sapidum venenum, dulcem amaritudi-
nem, delectabilem morbum, iucundum supplicium, blandam mortem
definivit,

definivit, rectè dixerit. Præterea adeo perturbato sunt
animo, ut etiam sui ipsius obliuiscantur: itaque etiam in a-
mentiam quandam incident, qui morbus à medicis ēquas
dicitur. Quem eleganter Poeta nostro seculo ita descripsit.

30

*Nil Amor est aliud, si nescis, quam sine vita
Vivere, nil aliud, quam sine morte mori.*

Atqui hic reclamat mihi teneri amatorculi Amoris &
suæ Deæ exercitio corpus crescere & augescere, ingenium
poliri, acui, excolit. Intermissione vero eiusdem melancho-
liam veram dementiae scaturiginem oriri, effici, soveri,
concoctionem prohiberi. Verum quam absurdæ hæ sunt
apinæ, quamque nihil omnino sint rationes, nemo non
videt. Quis enim ignorat crebro Amoris exercitio corpo-
ris robur minui, cerebrum debilitari, Spiritus vitales laba-
factari, vitam extenuari, maximamque omnium rerum
negligentiam suboriri? vnde & Iustus Lipsius scitè disse-
rit & præclare. *Intermissione Veneris exercitio corpus augeri, membra
consolidari, vires corroborari, ingenium acumen acui, quod ipsum etiam
extra omnem controversie aleam possum eff.* Testimonio sunt
nobis robustissimi illi Athletæ, Tarentinus, Diopompus,
Asillus, & alij quam plurimi, qui penitus ab hoc Veneris
ludibrio abstinerunt. Sic Socratem Philosophum adeo Amoris
exosum fuisse legimus, ut cum aliquando quempiam verba de Amore
facientem audivisset, caput suum pallio obvelavit, nec antea revelavit,
quam illo sermo desitus extitit. Quapropter non improbanda
sunt nitidissima Plutarchi verba, quæ in adolescentibus re-
quirit, *ut nimirum habeant in animo temperantiam seu continentiam,
in lingua silentium, in vultu pudorem.* Hinc Pythias Aristote-
lis Philosophi filia, interrogata. Qui color esset pulcherri-
mus? Qui per pudorem ingenuis oboritur, respondit:
Et Cato senior pulchre dixit sibi nimirum magis
placere

placere eos, qui rubescerent, quam qui pallescerent; Quod rubor arguat bonam indolem, pallor non item. Et certè maximum constantiae munus est pudicum esse, frontem apertam, linguam parcam, mentem clausam habere, & ab amoris illecebris abstinerere. Quod si quis est, qui id assecutus fuerit, ille jure optimo id dicere potest, quod Sophoclem Tragicum dixisse Plato refert, qui cum à familiari suo regaretur, Ecquid adhuc cum grandis admodum natu esset, cum sc̄eminis rem haberet? Vix meliora, inquit. Lubentissime enim ab Amore, tanquam à crudeli, importuno, rabido & fero Domino effugi. Pulchrum profectò, & memorabile sapientis viri dictum, dignum ut à quo quis homine cordibus insculpatur, retineatur, ruminetur. Evigilate hic amatores leviculi, & amorem qui menuis organa debilitat, & ipsum ingenii acumen præstringit, seriò vitate.

Infidus est Amor, & pessimum, vt ille ait, quemq; animum inhabitare solet. Hoc revera ita esse, exemplum ex Bionis Smyrnæi bucolicis nobis indicat. Adolescens olim auceps in nemore arboribus denso dum venatur aves, fugitiuum vidit Amorem buxi ramo insidentem. Ut igitur animadvertis supra modum gaudens (quoniam avis ei per magna videbatur) & calamos simul omnes inter se coniungens, huc illuc transfliente obserbat Amorem: tandem verò indignatus, quia nihil proficiebat, abiectis arundinibus senem adivit aratorem, à quo hanc artem didicerat, eiique rem enarravit, & sedentem ostendit Amorem. Porro senex subridens movit caput, hocq; responsum juveni dedit, Abstine, ait, venatione, nec istam avem inseguitor, fuge procul, mala es hæc bestia, tuq; beatus dum non ceperis ipsam, sed cum adultus fueris in virum, ille qui nunc fugit & resilie, ipse sua sponte accedens subito capiti tuo insidebit. Nec tu quoq; doctissime Socrates male imbuisti Xenophontem & Critobulum, dum hunc in modum exclamas, Consilium tibi ô Xenophon, ut cum bellulam videris puelam,

30

lam fugias quantum potes, ita ut ne quidem respicias; multò minus animo & cogitatione comprehendas spetiosam puellæ formam, flammeos oculos, purpureas genas, corallina fibra, teretes lacertos, & cibis vincentes candore manus.

Tibi verò ô Critobule consulo, ut integrum annum absis, vix enim intra hoc tempus à mortu sanari poteris. Et tu divine Plato docè erudire solibas: ô juvenes, dicebas, fugite Amorem, quia parit dolorem.

Quot enim campo flores, tot sunt in amore dolores.
Fugite hunc iuquam, priusquam producat vngues & dentes. Sin minus iam adultum malum impugnandum vobis erit, cum ipsum adhuc parvulum & infantem amplexum fueritis. Sed quinam Amoris vngues & dentes mihi reclamat? Suspicio & Zelotypia. At habet quiddam illex & floridum opponitis. Sphinx etiam varietatem alarum illecebrosam habuit, & ad solis radios conversæ aureus erat bestiæ color: aduersus nubes autem ceruleus, quale jubar Iris re lucret: sic etiam Amor, habet quiddam gratiosum nec inelegans, sed blandum & jucundum. Rapit autem vitas familiasq; & nuptias, & Imperatores & Principes non ænigmata proponens, sed ipsemet ænigma inventu solutuque difficile existens. Ut si quid eiusmodi componat ænigma. *Quid sit quod oderis simul, aut amet: fugiat aut persequatur: minetur, aut supplicetur, irascatur, & misereatur: definere velit, ac nolit: eadem re maximè tum gaudeat, tum tristetur.* Hic sane scirpus agre solvi & conciliari posset. Præterea Sphingis ænigma permulta quoq; habet conficta. Non enim revera tripes est senex, si baculo innitatur, neq; infans est quadrupes, quia gressus molles & infirmos manibus fulcit. Amantium autem adficiunt veri sunt, amant, oderunt: eundem absentem desiderant, præsentem metuunt: adulantur, convicia dicunt: pro amato moriuntur, occidunt: optant non amare, abstinere Amore nolunt: emendant, & obexcant; docent, ac perdunt,

D

dunt,

Dunt: imperare nolunt, ac servitutem tolerant. Hæc est causa cur hic adfectus maximè pro insania reputetur. Hinc amatorius vir Euripides inquit, AMABAM. Amor autem hominibus furor est, irrationalis cuiusdam cupiditatis. excessus est, & velocem habet accessum; tardum autem discessum. Advolate huc denuò vos Venerum pedissequi, advocate huc Amoris asseclæ, serioq; illos perponderate, quos Amoris pernities in summam perniciem trusit, turbavit, præcipitavit. Exempla passim sunt obvia. Quis enim vestrum est, qui nesciat, quot fortissimos viros, quot illusterrimos heroas infandus hic Amor emollierit, enervarit, effeminari. Dicam quo nemo erit, qui audiens non supramodum miretur? Duarum toto orbe clarissimarum gentium duos longè præstantissimos duces ad memoriam revocate. Quem vestrum præterit Cajum Iulium Cæsarem, victorem in Galliis, in Germania, in Britania, in Hispanijs, in Italia, in Thessalia, in Ægypto extitisse, cundemq; mox in Armenia, in Ponto, in Africa, rursus in Hispania supremo Marte victurum in medio tantarum victoriarum ab Amore regio, interim apud Alexandriam victum esse?

Quem fugit Hannibalem apud Ticinum, apud Trebam, apud Trasimenum, apud Cannas victoriam reportasse, & denum in patria vincendum sua prius apud Salapiam Apulie oppidum, quo inexcusabilior sit, mercericio Amore subactum esse?

Quanta vobis videtur mali vis, quæ tam duros animos superarit, tam rigida pectora levi incursu fregerit, tam rapidos pedes vicerit, tam fortia brachia fragilibus vincis inclinerit, ligarit, coercuerit? Si A. O. omnes articulatim historias attingere n, hic totus dies ad dicendum non sufficeret. Notissimæ sunt etiam sacrorum bibliorum historiæ. Quis enim ignorat, turpissimam hanc Amoris turpitudinem diuvio primi mundi hominibus immisso non postremam an-

sam

30

sam præbuisse? Quis nesciat Sodomam & Gomorram ob eandem fæditatem incensas & combustas, & in cinerem redactas? Quis verò sacrarum historiarum tam ignarus quem lateat Simsonem turpissimo meretricio amori inservientem oculis privatum esse? Regem Davidem amori operam dantem cædem commisisse, Sapientissimum Salomonem amore muliebri excoecatum. Idola coluisse? Quare cum tam mandatis divinis, quam humanis reluctetur otium & Amor, cum plurima secum adferant incommoda, cum sint omnium flagitorum & scelerum quasi communes fontes, & scaturigines, cumq; nec honesta sint, nec utilia, hæc duo periculosa vitia studiosi adolescentes cane peius & angue in flore ætatis fugiant, vitent, devitent, memores illius versiculi:

Quicquid agas prudenter agas & respice finem.

Quem si acriter & ad veri judicij lancem examinabunt à turpissimo otio, & ab amantum ordine, quem Poëta ille nobis ob oculos ponere voluit, facili negotio abhorrebunt.

Navigat (inquit) omnis amans, & habet sua vela Cū Crede mihi certe, navigat omnis amans. (pido

Est amor unda, unda est incerta, infida, fugaxq;

Talis amor. Sed quis navita? fæda Vénus.

Qua navis? furor obscenus. Quem portat? amantem Amentem. Remos quos ea navis habet:

Fallacem noctem Bacchumq; insana moventem

Arma. Quibus velis? fune, cruce, igne, lacu.

Hisce deterriti more Elephantum, qui eis amnibus impense delectantur, haud temere eos, cum inscijs sint natandi ingrediuntur, haud facile Veneris iugo licet more capiantur.

antur, colla subdant, vidisse ea utile, non se inseruisse, transisse non miscuisse.

Cum itaque casta mens Deus sit, & casta velit mente vocari
Iesus & castas pondus habere preces: ut piè plus Poëta canit, se
sine casta mente Deo non placere, ne dum illum co-
lere posse, animum inducant, sibi persuade-
ant, certissimè credant.

D I X I.







definivit, rectè dixerit. Præterea ade
animo, ut etiam sui ipsius obliuiscantur:
mentiam quandam incident, qui morbi
dicitur. Quem eleganter Poeta nostro securi

*Nil Amor est aliud, si nescis, quam si
Vivere, nil aliud, quam sine mor*

Atqui hic reclamant mihi teneri amato
rū Deæ exercitio corpus crescere & aug
poliri, acutæ, excoli: Intermissione vero ei
liam veram dementiæ scaturiginem ori
concoctionem prohiberi. Verum quam
spinæ, quamque nihil omnino sint rati
videt. Quis enim ignorat crebro Amori
ris robur minui, cerebrum debilitari, Spi
factari, vitam extenuari, maximamque
negligentiam suboriri? vnde & Iustus L
rit & præclarè. *Intermissio Veneris exercitio co
consolidari, vires corroborari, ingenioq; acumen acc
extra omnem controversie aleam possum eff.*
nobis robustissimi illi Athletæ, Tarentin
Aspillus, & alij quam plurimi, qui penitus
ludibrio abstinerunt. Sic Socratem Philo
exosum fuisse legimus, ut cum aliquando quempia
facientem audivisset, caput suum pallio obvelavit,
quam ille sermo desitus extitit. Quapropter
sunt nitidissima Plutarchi verba, quæ in a
quirit, ut nimis habeant in animo temperantie
in lingua silentium, in vultu pudorem. Hinc
lis Philosophi filia, interrogata. Qui colo
mus? Qui per pudorem ingenuis obo
Et Cato senior pulchre dixit sibi



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.